Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30297
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

74 73.

fieri coeperit esse putat. Aliud est enim per interminabilem du-
ci vitam quod mundo plato tribuit, aliud interminabilis
vitae totam pariter complexam esse praesentiam quod divinae mentis pro-
prium esse manifestum est. Neque enim deus conditis rebus antiquior
videri debet temporis quantitate sed simplicis potius proprieta-
te naturae. Hunc enim vitae immobilis praesentarium sta-
tum infinitus ille temporalium rerum motus imitatur. Cumque eum ef-
fingere atque aequare non possit, ex immobilitate deficit in mo-
tum et ex simplicitate praesentiae decrescit in infinitam
futuri ac praeteriti quantitatem. Et cum totam pariter vitae suae ple-
nitudinem nequeat possidere, hoc ipso quod aliquo modo numquam
esse desinit, illud quod implere atque exprimere non potest ali-
quatenus videtur aemulari, alligans se ad qualemcumque praesentiam
huius exigui volucrisque momenti, quae quoniam manentis
illius praesentiae quandam gestat imaginem, quibuscumque contige-
rit id praestat ut esse videantur. Quoniam vero manere non potuit,
infinitum temporis iter arripuit. Eoque modo factum est ut continu-
aret eundo vitam cuius plenitudinem complecti non valuit
permanendo. Itaque si digna rebus nomina velimus im-
ponere, platonem sequentes deum quidem aeternum, mundum vero
dicamus esse perpetuum. Quoniam igitur omne iudicium secundum sui na-
turam quae sibi subiecta sunt comprehendit. Est autem deo semper
aeternus ac praesentarius status. Scientia quoque eius omnem temporis

Marginal gloss (left): T. x. Deus non debet antiquior rebus secundum tempus quo caret sed simplicitate et dignitate naturae. Quare autem hoc sit causam reddit cum dicit: Hunc enim et cetera. Motus temporalium rerum in hoc imitatur praesentarium statum dei, quia sicut ille divinus status stando manet, ita hic fluendo manet. In hoc vero differt, quia ille stabilis et praesentarius, iste vero instabilis per praeteritum et futurum fluxus est. T. c. Itaque: Si[militudo] a causa. Quia per interminabilem vitam duci tantum plato mundo attribuit, deus vero proprium est totam interminabilis vitae praesentiam amplecti pariter. Ergo si secundum platonem digna rebus imponere nomina velimus, dicemus deum aeternum, mundum vero perpetuum. Eternum enim proprie est quod semper existens nichil tempori debet. Perpetuum vero quod licet principio et fine caret tempori tamen subiacet. Sempiternum autem quod principium habuit sed fine caret dici potest.

Marginal correction (right): esse

Marginal gloss (right): T. u. Quoniam igitur omne. Ostensio quid sit divine substantiae status illa ratione quam dat repetendo unde inferat ponit per quam [illegible] ad providentiam dei principaliter attendit [illegible].